
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
CHRISTO ET ECCLESIAE
VE RI TAS

Walther
WALTERI GILBERT

AD MARTIALEM

QUAESTIONES CRITICAE.

EX PROGRAMMATE GYMNASII REGII DRESDENSIS A. 1883.

DRESDAE,
TYPIS B. G. TEUBNERI.
1883.

WALTERI GILBERT

Ad Martialem quaestiones criticae.

Caput I.

L. Friedlaender, vir unice de Martiale meritus, in *Observv. de Mart. epigr. part. II* (Acad. Alb. Regim. 1878 I) versus quosdam notavit, quorum 'exitus ita corrupti sunt, ut pro vocabulo a poeta scripto aliud substitutum esse sumendum sit'.[1]) Duos locos addo:

VII, 92 Martialis in Baccaram invehitur, qui ei semper dicit *si quid opus fuerit, scis me non esse rogandum* (v. 1.), sed ubi pecunia poetae inopi solvenda est, semper *nescit quid sit opus.* Vitiose ultimum distichon sic traditur:

Hoc opus est, subito fias ut sidere mutus,
Dicere ne possis, Baccara, quid sit opus.

Nam quid sit opus, Baccara non dicit, immo ne scit quidem. Explicet quis: 'ut quod non dicis, Baccara, ne possis quidem dicere'; sed non loqui Baccaram vult Martialis, immo solvere, quod vel mutus posset. Scribo: *Dicere ne possis, Baccara: Si quid opus* (scil. fuerit, scis me non esse rogandum). Persaepe Martialem (ut Catullum) epigrammata eisdem verbis claudere, quibus incohaverit, recte observavit *Paukstadt De Martiale Catulli imitatore* p. 34 et addidit *Friedlaender* (Acad. Alb. Regim. 1877 III) poematis ab illo collectis IX, 97. Verba autem decantata ita nonnumquam commemorantur, ut initia modo ascribantur: I, 45: *dicatur potius τὸν δ' ἀπαμειβόμενος.* XIV, 185: *ne nucibus positis arma virumque legas;* cf. VIII, 56, 19. Sed hic ellipsis explicatio multo facilior est: etiam nos dicimus „wenn du etwas brauchst — (scil. so wende dich an mich)". Similiter ipse Martialis X, 37: *Callaïcum mandas si quid ad Oceanum —*, de quo loco disputavi pag. 12.

X, 56 haec dicit poeta Gallo patrono, qui eum cogit *totis servire diebus* (i. e. non 'unaquaque die' sed 'usque ad vesperum'):

Eximit aut reficit dentem Cascellius aegrum, ..
Tristia servorum stigmata delet Eros;
Enterocelarum fertur Podalirius Hermes:
Qui sanet ruptos, dic mihi, Galle, quis est?

Ruptos hic volunt *defatigatos* significare, quae explicatio, etsi certis argumentis refutari non potest, tamen valde mihi videtur illepida. Alii *calceos* interpretantur *ruptos* ellipsi non ferenda: et stultissimus sic est Martialis, qui Gallum speret responsurum esse 'Ego sanabo pecuniam dans'. Immo respondebit patronus avarus 'Sutor sanabit'. Nam medici quoque, quos commemorat poeta, non pecuniam dant, id quod patrono faciendum est, sed arte sua

1) Tamen puto **III, 50, 7** non recte virum doctissimum *broma* („Genuss") in *promis* mutasse. Nam de libris hic poeta perinde loquitur ac si epulae essent; cf. verba *affertur* (v. 3) et *porrigitur* (v. 5). βρῶμα autem etiam apud Aristophanem (fragm. 313 Dind.) poematum delicias significat.

utuntur, postquam ipsis pecunia est data. Coniciam: *quis sanet ruptos, dic mihi, Galle, dies?* Saepissime queritur poeta *totis servire diebus* coactus de diebus frustra lapsis, quibus epigrammata componere potuerit: cf. XI, 24. X, 70 (v. 4. *toti dies*). X, 58, 7. Ita hic dicit omnia fere posse medicos restituere, dies ruptos (totgeschlagene Tage) restitui non posse.

X, 78:

Ibis litoreas, Macer, Salonas,
Ibit rara fides amorque recti
Et secum comitem trahet pudorem.
Semper pauperior redit potestas.

A Friedlaendero probata est coniectura Koestlini (in Philologo 1877 p. 276): *amorque recti. Si secum c. trahit pudorem, semper etc.* Sententiam et interpunctionem egregie restituit Koestlinus, non item verba. Nam cum Palatinus habeat: *quae cum* (an *et quae cum?*) *c. trahi p.*, scribendum est: *Quae secum c. trahit p.*

VII, 74, 9 s: Poeta causas affert, cur Carpo sophistae Mercurium velit favere:

Hic pius antistes sophiae sua dona ministrat,
Hic te ture vocat, fidus et ipse Iovi.

Postrema verba significant, ut Mercurius Iovi caelesti fidus sit, ita Carpum fidum esse Iovi Domitiano. Sed in voce *sua* (v. 9) haereo: nam et obscurum est *sua dona* et oportebat poetam hic omnia ad Mercurium referre, cujus tutelae Carpus commendatur. Praestat certe *tua dona*: Mercurii enim donum est sophia ideoque Mercurio tuendi sunt pii sophiae antistites ut viri Mercuriales. Ceterum moneo *hic* subiectum esse, verba *pius antistes sophiae* praedicative apposita: *hic cum pius sophiae antistes sit, tua dona sunt quae ministrat.*

XI, 80:

Litus beatae Veneris aureum Baias,
Baias superbae blanda dona naturae,
Ut mille laudem, Flacce, versibus Baias,
Laudabo digne non satis tamen Baias.
Sed Martialem malo, Flacce, quam Baias.
Optare utrumque pariter, improbi votum est.
Quod si deorum munere hoc tibi detur,
Quid gaudiorum est Martialis et Baiae.

tibi (v. 7) pessimum est: nam non Flaccum gaudere, si sibi et Martialis et Bajae dentur, sed poetam ipsum, conici potest ex versu 5 *(Martialem malo).* Ut omittam interpretum ineptias, qui Flacco deorum munere dari posse putant, ut non modo poeta sit, sed etiam *Martialis,* sententia epigrammatis haec est: Baias a Flacco invitatus urbane eo iturum se esse poeta negat, nisi *Martialem,* non clientem esse, id est sibi carminibusque suis vivere illic liceat, ut licuit Anxure[2]) in villa Frontini (X, 58, 5—7). Scribendum igitur est: *mihi detur.*

---

2) Anxure Frontini villa fuit, non *prope Baias*, ut non modo *Guttmanno* (observ. in Mart. p. 13 not. 1) sed etiam *Friedlaendero* videtur (Sittengeschichte Roms III^5, 449: „Besitzung am Golf von Neapel". Sed cf. II^5, 97, 2). Dicit Martialis **X, 58, 1 s.**: *Anxuris aequorei placidos, Frontine, recessus Et propius Baias litoreamque domum (colui).* Ut thermulae urbanae X, 13, 3, ita hic (cf. Cassiodor. Var. XII, 22) recessus Anxuris aequorei dicuntur alterae Baiae, sed propius Romam sitae. Haud scio an mirum videatur adverbium *propius;* sed cf. III, 58, 51: *Rus hoc vocari debet an domus longe?* et praeterea I, 86, 10. X, 50, 8: *prope.* Alia attulit Draeger Historische Syntax I^2, 131 s.

X, 34, 5: Traiano, qui patronorum jura restituit (v. 3. 4), dicit poeta: *Dignus es ut possis totum servare clientem.* Ut *totum clientem* cum veteribus editoribus interpretemur *omnes cives Romanos ut tuos* (i. e. imperatoris) *clientes,* eo minus potest fieri, quod hoc epigrammate aperte clientes et patroni inter se opponuntur. Conicio: *etiam servare cl.* Nam ut *totum* ineptum est, ita *etiam* vocis notio necessaria.

XIV, 26: *Caustica Teutonicos accendit spuma capillos:*
Captivis poteris cultior esse comis.

Mirum videtur saponem, quo Galli et Germani crines rutilabant, *causticam spumam* dici. Nam causticorum eam vim esse, ut pusulae in cute usta fiant pilique decidant, ex Plinii naturali historia (ut XXVI, 65. XXVII, 72. 77) notissimum est: neque poterat in ungendo capillo, ne medicamen attingeret cutem, caveri. Sed omnino sapo vim causticam non habebat, etsi eum legimus in caustica missum esse: neque enim exurebatur eo fuscus capilli color, sed illinebatur color rutilus crinibus praecipue. canis (Mart. XIV, 27: *cana;* cf. etiam Ovid. a. a. III, 163); quae autem Plutarchus in fine libri amatorii de Sabini uxore narrat (a *Boettigero* commemoratus *Sabina* I, 138), si omnino ad saponem, qua de re valde dubito, certe non ad vim causticam pusulasque faciendas pertinent (*λίπασμα σαρκοποιόν*). Libri non habent *Caustica,* sed partim *Castica* (P fam. C[a]) partim *Cattica* (*Chaticas* T). Ergo, etiamsi adiectivum *Chatticus* aliis locis non invenitur, tamen sine dubio *Chattica .... spuma* scribendum est, quod iam *Beverlandum* proposuisse ex Lemairii editione video. Cf. VIII, 33, 20: *et mutat Latias spuma Batava comas.* Conficere autem *spumam* illam ut e Gallis Batavos ita e Germanis Chattos apparet proximo epigrammate (XIV, 27), ubi *pilae Mattiacae* commemorantur; Mattiacum enim est urbs Chattorum, et spuma fiunt pilae saponis, cum aqua infusa teruntur.

X, 71, 5: In epitaphio parentum Rabirii, qui videntur ambo eadem nocte esse mortui: *Bis sex lustra tori nox mitis et ultima clusit.* Vitiose adiectiva *mitis* et *ultima* particula *et* iunguntur; dicendum erat *mitis nox ultima.* Nam hic non *noctem* Stygias mortuorum tenebras significare, sed *noctem ultimam* ipsum moriendi tempus, propter vocem *mitis* necessarium est. Itaque conicio *nox mitis et unica. unica* pro *una* positum est, ut I, 103, 8 *(explicat et cenas unica mensa duas)* et significat parentes Rabirii non modo celeri morte, sed etiam ambos eadem nocte absumptos esse, ut proximo versu additur: *arserunt uno funera bina rogo.* — Quamquam me aliquando dubium fecit de coniectura mea, quod saepius in Martialis carminibus iocose compositis magnam sermonis neglegentiam deprehendi. Atque ex ceteris libris nihil huius generis notavi, nisi huc pertinere putamus XIV, 33: *Pugio, quem curva signat brevis orbita vena, Stridentem gelidis hunc Salo tinxit aquis* et XIV, 114, ubi poeta patellam Cumanam dicit *Cumanae rubicundam pulvere testae,* quo tamen loco recte, nisi fallor, *Herrlich* (Philol. Anzeiger IV, 374) pro *testae* coniecit *terrae,* cum quod Scriverius cum libris plerisque familiae C[a] posuit *(Cumano .... testam)* interpolatione ortum esse librorum lectionibus diligenter perpensis facile intellegatur. In ipso vero libro decimo, ut non commemorem *agnum Phrixeum* (X, 51, 1) aliaque, quae apud ceteros quoque illius aetatis poetas occurrunt, haec inveni: X, 24, 4. 5: *quinquagesima liba septimamque vestris addimus hanc focis acerram,* ubi dicendum erat *quinquagesima septima liba et quinquagesimam septimam acerram,* quamquam in eo, quod poeta scripsit, minus, quam nos, puto Romanos offendisse: nam id ipsum quod dicendum erat, *quinquagesima septima liba* (die fünfzigsten und siebenten Kuchen) iam dimidium illius

vitii logici habere facile perspicies, si comparaveris cum nostro „Die siebenundfünfzigsten Kuchen". X, 9, 1: *undenis pedibusque syllabisque*, cum versus Phalaecii undenas syllabas habeant, non item undenos pedes. X, 24, 11: *post hunc Nestora* (sed cf. Iuven. XII, 128) pro *post hanc Nestoris aetatem*, ubi non solum *Koestlini* commento *posthinc*, sed etiam *Friedlaenderi* eleganti coniectura *post hoc* (Acad. Alb. Regim. 1878 II) facile carebimus. Nam multo audaciore metonymia X, 48, 4: *immodico sexta (hora) Nerone calet* pro *immodico Neronis thermarum ardore sexta calet.*[3]) — Nihilominus X, 71, 5 recte me *unica* coniecisse puto, et quia iocoso dicendi genere in hoc epitaphio neglegentia sermonis excusari non potest et quia vitium evitare poetae hic admodum facile erat.

Duobus locis versus transponendos esse amici *Gerth* et *Bochmann* mihi persuaserunt:

Spect. 4, 3 ss: (turba delatorum) *Traducta est .... nec cepit arena nocentes:*
Et delator habet quod dabat exilium.
5. *Exulat Ausonia profugus delator ab urbe:*
Haec licet impensis principis annumeres.

Quia versus quarti vis et acumen versu 5 pessime infringitur, inde a Scaligero viri docti versus 5 et 6 a praecedentibus seiunxerunt ut novum epigramma aut integrum aut initio mutilum. Sed sic difficultates non tolluntur, quia v. 6 post v. 5 ineptus est, post v. 3 aptissimus. Nam *impensae principis* sunt ferae magno sumptu Romam comportatae et in amphitheatro civibus ostentae; itaque delatores per arenam traducti quasi *impensae principis* dici possunt, non item delatores in exilium missi. Ergo aut, quod non probem, vv. 4 et 5 vel potius vv. 5 et 6 uncis includendi sunt aut egregie sic *Gerth* transponit:

3. *traducta est .... nec cepit arena nocentes:*
6. *haec licet impensis principis annumeres.*
5. *Exulat Ausonia profugus delator ab urbe,*
4. *et delator habet quod dabat exilium.*

In iteratione vocis *delator* non est offendendum. Nam ut ieiuna est, si versus 4 versum 5 antecedit, ita gravissima versu 4 post v. 5 posito *(iam ipse delator id habet, quod dabat).*

IV, 80, 1—4: *Declamas in febre Maron: hanc esse phrenesin*
Si nescis, non es sanus, amice Maron.
Declamas aeger, declamas hemitritaeös:
Si sudare aliter non potes, est ratio.

Posterius distichon Schneidewinus uncis inclusit. Sed bene me *Bochmann* monuit servari hos versus posse, si ante prius distichon collocarentur. Fit enim sic aptissima gradatio et in pentametris et per voces *aeger, hemitritaeos, in febre.*

Ergo hoc loco versus Martiali abiudicati possunt ei restitui. Alia recte in suspicionem vocata sunt, ut XII, 55, 5.6 et Spect. 25[b], quod, quamquam non insulsum videtur, tamen a Spectaculorum libro alienum est et fortasse ab homine scholastico non indocto ad exemplum epigrammatis XIV, 181 confictum. Etiam **IX, 95[b]** (95, 3 — 6), quod *Scriverius* et *Schneidewinus*

3) Errori, non neglegentiae tribuendum est, quod Martialis Ciceronem *Arpis*, non Arpini natum putat (IV, 55, 3), Horatium *Calabrum*, non Apulum nominat (VIII, 18, 5. cf. V. 30, 2. XII, 94, 5), Tibulli *Nemesim* pro Delia commemorat (XIV, 193).

(in editione II) separaverunt a IX, 95, mallem eiecissent viri docti ut manifestas interpolatoris ineptias:

'*Nomen Athenagorae*', *quaeris*, *Callistrate*, '*verum?*' (sic interpungo propter v. 5)
Si scio, *dispeream*, *quid* (sic TR, non *quis*) *sit Athenagoras.*
Sed puta me verum, *Callistrate*, *dicere nomen:*
Non ego, *sed vester peccat Athenagoras.*

Praeterea spurios puto versus **5** *et* **6** epigrammatis **V, 50**:

Ceno domi quotiens, nisi te, Charopine, vocavi,
Protinus ingentes sunt inimicitiae,
Meque velis stricto medium transfigere ferro,
Si nostrum sine te scis caluisse focum.
Nec semel ergo mihi furtum fecisse licebit?
Improbius nihil est hac, Charopine, gula.
Desine iam nostram, *precor*, *observare culinam*
Atque aliquando meus det tibi verba cocus (*focus* T. Schn.).

Nam Martialis cum versu 4 *(caluisse focum)* iam proxime accessisset ad acumen epigrammatis (7. *desine observare culinam.* v. 8. *det tibi verba cocus)*, non poterat versu 5 ad se ipsum redire *(mihi furtum fecisse licebit)*, nisi malus erat poeta.

Simili vitio laborat epigramma **Spect. 12**, ubi tertio disticho, si inter priora et quartum interponitur, male deflectit poeta ab eo, quo tendit: neque tamen deleto illo quidquam proficimus. Optime vero omnia procedunt, si quartum distichon seiungitur, ut aut integrum epigramma aut initium insequentis sit:

XII. *Inter Caesareae discrimina saeva Dianae,*
Fixisset gravidam cum levis hasta suem,
Exiluit partus miserae de vulnere matris.
O Lucina ferox, hoc peperisse fuit?
Pluribus illa mori voluisset saucia telis,
Omnibus ut natis triste pateret iter.
Quis negat esse satum materno funere Bacchum?
Sic genitum numen credite: nata fera est:
XIII. *Icta gravi telo confossaque vulnere mater*
Sus pariter vitam perdidit atque dedit.
O quam certa fuit librato dextera ferro!
Hanc ego Lucinae credo fuisse manum.
Experta est numen moriens utriusque Dianae,
Quaque soluta parens quaque perempta fera est.

Versus 1—6 plenum ac perfectum efficere carmen, facile concedes, si perspexeris versus 5 et 6 opponi versui 4, quamquam *tamen* particula omissa est. Versus 7 et 8 si quis integrum epigramma esse statuat, non repugno; sed, quia narratio sic deest, dubito, num multi probaturi sint. Itaque ipse cum insequentibus coniungo. Praeclarum vero epigramma esse quattuor postrema disticha, in quo poeta similiter a fabulis ordiatur atque III, 45, non est quod demonstrem: sed quo facilius sentiretur, post verba *nata fera est* non

punctum, sed colon posui.[4]) — Neque semel accidit, ut librariorum errore epigrammatis initium praecedentibus agglutinaretur. Idem factum est **XIV, 1, 13. 14**, quos versus Scriverius et Schneidewinus recte a XIV, 1 separaverunt, sed non recte Schneidewinus integrum epigramma (XIV, 1[a]) esse voluit. Debebat enim aut, quod ego non probem, XIII, 3 in tria epigrammata partiri, Palatinum secutus, in quo post v. 4 et post v. 6 spatium est, aut, quod bene fecit Scriverius, XIV, 2 ad XIV, 1[a] aeque applicare ac XIII, 3, 7. 8 ad XIII, 3, 5. 6.[5])

Caput II.

Distinctionem, quae est in praeclara Schneidewini editione, Friedlaender correxit IV, 73; VII, 50, 1; IX, 89 (Acad. Alb. Regim. 1878 II); VIII, 66 (Acad. Alb. Regim 1870 IV). Ipse addo haec viginti epigrammata:

1. **I, 21, 1** vitiose omnes editores[6]):

Cum peteret regem decepta satellite dextra,
Ingessit sacris se peritura focis.

Interpungendum est sic:

Cum peteret regem, decepta satellite dextra
Ingessit sacris se peritura focis.[7])

Nam *cum peteret* non ex verbo *ingessit* pendet, sed ex participio *decepta:* neque sententia est *cum dextra satellite decepta regem peteret, focis se ingessit* (sic *petiisset* necessarium erat), sed *postquam* (vel *quae*) *dextra regem petens satellite decepta est, focis se ingessit.*

2. **I, 31:** Omnes editores:

Hos tibi, Phoebe, vovet totos a vertice crines
Encolpus, domini centurionis amor.
Grata Pudens domini tulerit cum praemia pili,
Quam primum longas, Phoebe, recide comas,
Dum nulla teneri sordent lanugine voltus etc.

---

4) **Spect. 14,** quo epigrammate eadem res exponitur, puto nondum satis perspectum esse poetam in ambiguitate vocis *casibus* ludere: vv. 3. 4: *Nec iacuit partus, sed matre cadente cucurrit; o quantum est subitis casibus ingenium.* Cf. similes iocos *(Kalauer)*: III, 21: *Non fuit haec domini vita sed invidia.* IV, 68: *Ut cenem invitor, Sexte, an ut invideam?*

5) Etiam **XII, 60** Schneidewinus simili in re male a Scriverio discessit, qui XII, 60 et XII, 60[b], quamquam in libris segregantur, Gruterum secutus rectissime coniunxit. Nam XII, 60[b] causa additur, cur XII, 60 (vv. 5. 6) poëta natalem in urbe celebratum servitium existimet et ipse rure natalem suum agere malit. Neque in eo est offendendum, quod a prima persona (XII, 60, 1—6) ad tertiam (60[b], 1—7, in octavo versu etiam ad secundam) transitur, qui transitus hic plane necessarius est.

6) Comparavi de his viginti epigrammatis — exceptis tamen II, 24; VI, 60; IX, 86, 8—10 (cf. V, 66), quia Schneidewinus primus, nisi fallor, dialogi notas posuit — praeter utramque Schneidewini editionem editiones Ramiresii a. 1607 (ut exemplum veteris vulgatae), Scriverii a. 1650, Schrevelii a. 1670, Bipontinam a. 1784, Lemairii a. 1825 s., Weberi a. 1833. Ubi editores, quos nominavi, consentiunt, dixi *omnes editores* idque iis quoque locis, quibus differentia nullius momenti est, velut I, 31, 2, ubi nonnulli colon pro puncto exhibent.

7) Secundum hunc versum *Friedlaender* (Acad. Alb. Reg. 1878 II) mutavit VIII, 30, 6: *totis pascitur illa sacris* (scil. *dextra Scaevolae*). Dicit enim: „*totis* corruptum est. Scribendum, ni fallor: *sacris pascitur illa focis* collato I, 21, 2.“ Sed *totis* non ineptum videtur, siquidem *pascitur* hic non est *uritur, devoratur,* sed *delectatur* simulque *absumit.* Nam dum manus humida uritur, *totus* foci ignis absumi atque exstingui incipit. Itaque proximo versu: *Quod nisi rapta foret nolenti poena, parabat saevior in lassos ire sinistra focos.*

Recte me *Gerth* monuit sic esse scribendum:

Hos tibi, Phoebe, vovet totos a vertice crines
Encolpus, domini centurionis amor,
Grata pudens domini tulerit cum praemia pili.
Quam primum longas, Phoebe, recide comas,
Dum nulla teneri sordent lanugine voltus etc.

Nam et qua conditione Encolpus vovisset crines addendum erat et *quam primum* post enuntiationem temporalem ineptum est. Idem autem esse *Vovet cum tulerit* atque *vovet se daturum esse, cum tulerit* non est quod explicem.

3. **I, 92:** Male Schneidewinus cum Scriverio et Webero post v. 12 punctum, post v. 13 colon, non multo melius Ram. Schrev. Bip. Lemair. utroque versu punctum exhibent. Facile apparet post v. 12 colon vel comma, post v. 13 punctum ponendum esse.

4. **II, 24:** *Si det iniqua tibi tristem fortuna reatum,*
Squalidus haerebo pallidiorque reo:
Si iubeat patria damnatum excedere terra,
Per freta, per scopulos exulis ibo comes.
5. Dat tibi divitias. „Ecquid sunt ista duorum?"
Das partem? „Multum est." Candide, das aliquid?
Mecum eris ergo miser: quod si deus ore sereno
Annuerit, felix, Candide, solus eris.

Bene monuit me *Bochmann* non recte Schneidewinum vv. 5 et 6 dialogum constituisse. Nam primum *ecquid* pronomine Martialis non in interrogatione rhetorica utitur, neque apud eum negantis est, sed opinantis idque aut suspicantis aut sperantis. Deinde *das partem?* sic collocari oportebat ante *ecquid sunt ista duorum?* Denique etiam post *Candide das aliquid?* abnuentis Candidi responsum desideres. Scribendum est:

Dat tibi divitias: ecquid sunt ista duorum?
Das partem? multum est? Candide, das aliquid?

Abnuentis Candidi responsa omnino non addita sunt, sed cogitatione assumenda aut post unamquamque percontationem aut, quod praestat, post verba *partem* et *aliquid*.

5. **II, 71:** *Candidius nihil est te, Caeciliane: notavi,*
Si quando ex nostris disticha pauca lego,
Protinus aut Marsi recitas aut scripta Catulli.

Ad sententiam convenit haec interpunctio Schneidewini, Ramiresii, Schrevelii. Sed malo post *Caeciliane* punctum, post *notavi* colon. Minus recte Scriverius, verbum *notavi* parenthesin existimans (ut XI, 99. 1), post *lego* punctum posuit. Bipontina, Lemairius, Weber sic hos versus exhibent:

Candidius nihil est te, Caeciliane: notavi.
Si quando ex nostris disticha pauca lego,
Protinus aut Marsi recitas aut scripta Catulli.

6. **III, 70, 3:** Male Schneidewinus:

Cur aliena placet tibi, quae tua, non placet uxor?

Ceteri autem editores excepto Ramiresio pessima coniectura *cui sua* pro *quae tua.* Scribendum est cum Ramiresio (id est cum vetere vulgata):

Cur aliena placet tibi, quae tua non placet, uxor? (vel potius *placet uxor?*)

Neque enim idcirco reprehenditur Scaevinus, quod aliena ei uxor placet, ipsius uxor displicet, id quod illis temporibus haud ita rarum fuit, sed quod eadem (cf. vv. 1. 2), quae ei, dum ipsius uxor erat (als eigene Gattin), displicuerat, nunc ei placet, ubi aliena facta est coniux (als fremde Gattin).

7. **IV, 64, 29 s.**: *Credas Alcinoi pios Penates*, (domum amici hospitalis)
Aut facti modo divitis Molorchi.

Sic hi versus scripti sunt in omnibus editionibus fabulanturque interpretes de sacello, quo Molorchum a Domitiano, cum Herculi aedem sacraret, nuper *(modo)* ditatum esse poeta dicat. Sed ut concedam posse verba ita explicari, quis hoc credat sacellum sacratum Molorcho! Traditum certe de tali sacello nihil est, siquidem Naekium (Opusc. II, 117 s.) putamus diligenter quae ad Molorchum pertinent collegisse. Interpungo: *aut, facti modo divitis, Molorchi* et verto „eines Molorchus, nur (sive aber) eines reich gewordenen". Etenim hospitalitatem amici poeta cum Molorchi comparat. Sed ne ille paupertate quoque Molorchi similis videatur, addit *facti modo divitis. modo* collocatum, ut XIV, 30 multisque locis aliorum scriptorum.

8. **V, 56**: Schneidewinus:

Cui tradas, Lupe, filium magistro,
Quaeris sollicitus diu rogasque.
Omnes grammaticosque rhetorasque
Devites, moneo: nihil sit illi
Cum libris Ciceronis aut Maronis.
Famae Tutilium suae relinquas.
Si versus facit, abdices poetam:
Artes discere vult pecuniosas,
Fac discat citharoedus aut choraules.
Si duri puer ingeni videtur,
Praeconem facias vel architectum.

Ceteri editores v. 5. 6. 7. 9 puncta ponunt, nisi quod Weber v. 6, Lemairius v. 5 colon habet. Scribendum est:

Omnes grammaticosque rhetorasque
Devites, moneo: nihil sit illi
Cum libris Ciceronis aut Maronis;
Famae Tutilium suae relinquas;
Si versus facit, abdices poetam.
Artes discere vult pecuniosas:
Fac discat citharoedus aut choraules;
Si duri puer ingeni videtur,
Praeconem facias vel architectum.

Duae epigrammatis sunt partes: vv. 3—7 dehortatur poeta ab artibus minus quaestuosis, vv. 8—11 invitat ad lucrosa vitae genera. Ergo v. 7 punctum, vv. 5. 6. 9 non punctum, sed semicolon ponendum est. Quae autem versu 8 continetur thesis, non ad v. 9 pertinet, sed ad vv. 9—11; sententia enim est *quia artes pecuniosas discere vult, fiat* aut *citharoedus choraulesve* aut, *si duri ingeni videtur, praeco architectusve.* Ergo v. 8 maior quam v. 9 distinctio necessaria est.

9. **V, 66**: *Saepe salutatus numquam prior ipse salutas:*
Sic eris aeternum, Pon iliane, Vale.

Quod plerique editores contra omnes bonos libros scripserunt, *sic erit* mala coniectura est etiam nos dicimus „du bist für mich ade". Sed *aeternum*, id quod iam Heraldus vidit, coniungendum est cum *vale* verbo idemque significat atque *in aeternum*: cf. Verg. Aen. XI, 98 *aeternumque vale.* Similiter *longum* praeter locos in Klotzii lexico notatos Mart. IX, 18, 1: *est mihi sitque precor longum te praeside, Caesar, rus minimum.* Scribo igitur:

Sic eris 'Aeternum', Pontiliane, 'Vale'.

10. **V, 78** Schneidewinus:

Si tristi domicenio laboras,
Torani, potes esurire mecum.
Non deerunt tibi, si soles προπίνειν,
Viles Cappadocae gravesque porri.
Divisis cybium latebit ovis,
Ponetur digitis tenendus ustis
Nigra coliculus virens patella,
Algentem modo qui reliquit hortum:
Et pultem niveam premens botellus,
Et pallens faba cum rubente lardo.

Et sic fere etiam Schrev., Bipont., Lemair., Web.; Scriverius autem non multo melius et versu 4 et versu 5 colon posuit. Scribendum est cum Ramiresio (id est cum vetere vulgata):

Non deerunt tibi, si soles προπίνειν,
Viles Cappadocae gravesque porri,
Divisis cybium latebit uvis.
Ponetur digitis tenendus ustis
Nigra coliculus virens patella,
Algentem modo qui reliquit hortum,
Et pultem niveam premens botellus,
Et pallens faba cum rubente lardo.
Mensae munera si voles secundae,
Marcentes tibi porrigentur uvae etc.

Nam vv. 3—5 exponitur gustatio (*προπίνειν*), vv. 11 ss. mensa secunda, vv. 6—10 ipsa cena, eaque una enuntiatione, cuius verbum *ponetur* est, hac de re peculiare: cf. X, 48, 13, *Gustus in his: una ponetur cenula mensa*, et sic saepius. In gustatione enim pisces quidam, ut cybium, cordylae, lacerti, ovis sectis et ruta cincti dabantur: cf. XI, 52, 7 ss.: *Mox vetus et tenui maior cordyla lacerto, sed quam cum rutae frondibus ova tegant .... Haec satis in gustu. Cetera nosse cupis?* X, 48, 11 ss.: *Secta coronabunt rutatos ova lacertos .... Gustus in his; una ponetur cenula mensa, Haedus, inhumani raptus ab ore lupi.*

11. **VI, 60** nondum intellectum est dialogum esse, in quo versus 1. 2. 5 Martialis: versus 3. 4. 6—10 Faustini sunt:

Rem factam Pompullus habet, Faustine: legetur
Et nomen toto sparget in orbe suum.
„Sic leve flavorum valeat genus Usiporum,
Quisquis et Ausonium non amat imperium."

5. *Ingeniosa tamen Pompulli scripta feruntur.*
„Sed famae non est hoc, mihi crede, satis.
Quam multi tineas pascunt blattasque diserti,
Et redimunt soli carmina docta coci!
Nescio quid plus est, quod donat saecula chartis:
10. *Victurus Genium debet habere liber.“*

Nam ut de versu quinto dubitari possit, versus 1. 2 non possunt eiusdem esse, atque versus 3. 4. Quae enim primo disticho dicta sunt, secundo confidenter negantur: *Valeant acerbissimi Romanorum hostes, si Pompullus rem factam habet et legetur.* — In mira autem abit Lemairius in nota ad v. 5.

12. **VI, 80**: *Ut nova dona tibi, Caesar, Nilotica tellus*
Miserat hibernas ambitiosa rosas,
Navita derisit Pharios Memphiticus hortos,
Urbis ut intravit limina prima tuae.
5. *Tantus veris honos et odorae gratia Florae,*
6. *Tantaque Paestani gloria ruris erat ....*
9. *At tu Romanae iussus iam cedere brumae,*
10. *Mitte tuas messes, accipe, Nile, rosas.*

Vitiose Schneidewinus in fine versus 2 comma posuit, melius ceteri editores colon, nihilominus vituperati a Gronovio (in Addendis editionis Schrevelianae), qui recte punctum mavult. Etenim *ut* (v. 1) non coniunctio temporalis est, sed idem atque *quasi, tamquam.* Nam etiamsi plusquamperfectum post *ut* temporale hic defendi posset, illepida esset periodus, a simili enuntiatione temporali orsa, simili enuntiatione temporali finita. Imprimis autem rosae hibernae ex Aegypto missae, quod vv. 5. 6. 9. 10 apparet, Romanis non iam sunt *nova dona.*

13. **VI, 90**: *Moechum Gellia non habet nisi unum.*
Turpe est: hoc magis, uxor est duorum.

Male sic Schneidewinus, obsecutus Gronovio, distinguit: quasi ad *turpe est* cogitatione assumendum sit *quod Gellia moechum habet* ac non potius *quod moechum Gellia non habet nisi unum.* Recte ceteri interpungunt: *turpe est hoc magis: uxor est duorum.* Sententia enim haec est: *Quod Gellia, qua re se excusari putat, moechum non habet nisi unum, hoc turpius est, quam si plures haberet; nam cum tale adulterium quasi alterum coniugium sit, in culpa est bigamiae.*

14. **IX, 40**: *Tarpeias Diodorus ad coronas*
Romam cum peteret Pharo relicta,
Vovit pro reditu viri Philaenis ....
Mersus fluctibus obrutusque ponto
Ad votum Diodorus enatavit.
O tardus nimis et piger maritus!
10. *Hoc in litore si puella votum*
Fecisset mea, protinus redissem.

Sic omnes editores versum 10 exhibent, nisi quod plerique *hoc a litore* scribunt. Sed uxor *(puella)* nisi in litore suae maritique patriae vota facere omnino non potest. Hoc dicit

Martialis, *se quidem, si puella sua vota pro reditu profecturi fecisset, non postquam in externa litora venisset* (quod fecit Diodorus), *sed iam in ipso patriae litore retro iter fuisse versurum.* Facile igitur apparet post *hoc in litore* comma esse ponendum.

15. **IX, 45, 1—4:** *Miles Hyperboreos modo, Marcelline, triones*
Et Getici tuleras sidera pigra poli:
Ecce Promethei rupes et fabula montis
Quam prope sunt oculis, nunc adeunda, tuis.

V. 4 rationem distinctionis Schneidewinianae non intellego. Neque enim potest dubitari, quin *nunc*, cum ei *modo* (v. 1) oppositum sit, ad totum versum 4 pertineat. Recte ceteri editores nulla v. 4 commata exhibent. Nam Marcellino, qui paulo ante in Dacia militaverat (*modo tuleras* etc.), nunc autem in Pontum provinciam profectus est, hoc dicit poeta: „Aus welcher Nähe hast du jetzt den Felsen des Prometheus, den Kaukasus, zu betrachten.“ „Aus der Nähe“ significat *prope* saepius, ut I, 49, 13: *figendas prope.* I, 49, 30: *conviva clamatus prope.*

16. **IX, 46:** *Gellius aedificat semper: modo limina ponit,*
Nunc foribus claves aptat emitque seras;
Nunc has, nunc illas reficit mutatque fenestras:
Dum tantum aedificet, quidlibet ille facit,
Oranti nummos ut dicere possit amico
Unum illud verbum Gellius „Aedifico“.

Hanc distinctionem omnes editiones habent, nisi quod in exitu versus 4 soli Schneidewinus et Weber comma posuerunt, veteres editores et Lemairius colon, Scriverius, Bipontina, Schrevelius etiam punctum. Intellegi sic epigramma posse non infitior, modo ne vv. 5 et 6 artius cum verbis *quidlibet ille facit* coniungas, quasi sententia sit: *Ut tantum aedificet, qualibet excusatione utitur ad pecuniam amico denegandam.* Carpitur enim Gellius non quod prodigus in aedificando sit, sed quod avaritia commotus semper levissima quaeque aedificat. Ergo sic interpreteris necesse est: *ut tantum aedificet, quidlibet ille facit: causa autem huius rei est (non immodicum aedificandi studium, sed) quod amico pecuniam vult denegare.* Sed ita puto neminem haec verba intellegere, nisi qui terque quaterque ea perlegerit; eaque de causa pars editorum contra regulas interpungendi punctum ante enuntiationem finalem posuit. — Ego initium versus 4 cum praecedentibus coniungo et *tantum aedificet* interpretor non *tam multum aed.*, sed *aedificet modo:* cf. X, 34, 6. *ut — liceat tantum vera probare — potes* similiterque XI, 55, 5. XI, 84, 12; collocatum autem *tantum* est ut IX, 74, 1: *effigiem tantum puer pictura Camoni Servat, et infantis parva figura manet.* Maior igitur distin ctio aut post *aedifice* aut ante *facit* ponenda est. Illud nolim, quia displicet subiectum in eadem enuntiatione iteratum (*ille facit* v. 4. *Gellius* v. 6). Scribo igitur:

Gellius aedificat semper: modo limina ponit,
Nunc foribus claves aptat emitque seras,
Nunc has nunc illas reficit mutatque fenestras,
Dum tantum aedificet quidlibet ille. Facit,
Oranti nummos ut dicere possit amico
Unum illud verbum Gellius „Aedifico“.

Ceterum versu 2 commate, non semicolo usus sum.

17. **IX, 86**: Schneidewinus:

Festinata sui gemeret quod fata Severi
Silius, Ausonio non semel ore potens,
Cum grege Pierio maestus Phoeboque querebar,
„Ipse meum flevi" dixit Apollo „Linon":
Respexitque suam quae stabat proxima fratri
Calliopen et ait: „Tu quoque volnus habes.
Aspice Tarpeium Palatinumque Tonantem:
Ausa nefas Lachesis laesit utrumque Iovem."
Numina cum videas duris obnoxia fatis,
Invidia possis exonerare deos.

quod v. 1 solus Schneidewinus pro *cum* ex libris familiae C^a bene restituit. Sed comma, quod v. 3 habet, falsum est. Non multo melius in Weberi editione post v. 3 colon, post v. 2 semicolon est. Ceteros autem editores, cum post v. 2 colon, post v. 3 comma posuerint, putes *cum* (v. 3) non praepositionem, sed coniunctionem intellexisse, quasi *queri* verbum cum ablativo posset coniungi. Necessarium est post v. 2 comma, post v. 3 punctum. — Deinde sermo Apollinis non usque ad v. 8, sed usque ad finem versus 10 continuandus est. Nam is qui cum deis queritur (v. 3) eosque *invidia onerat*, non Silius est, sed Martialis; praeterea mireris, si Silius, quem toto epigrammate non alloquitur poeta, hic significetur secunda persona.

18. **X, 37, 3 ss.**: Poeta in Hispaniam rediturus:

Municipi, Materne, tuo veterique sodali
Callaïcum mandas siquid ad Oceanum,
An Laurentino turpes in litore ranas
Et satius tenues ducere credis acos etc.?

Versus 4 in fine carminis iteratur (v. 20), ubi Schneidewinus cum Webero interrogationis nota utitur, ceteri autem editores punctum ponunt. Ab interrogatione directa alienum est *siquid*, versusque explicandus per ellipsin: „Wenn du einen Auftrag nach Spanien hast — (scil. so gieb ihn mir mit)." Cf. quae disputavi de VII, 92 pag. 1. Itaque sic scribi velim versum 20: *Callaïcum mandas siquid ad Oceanum* —. Versu 4, ubi Weber interrogationis signum, Scriverius punctum, Schrevelius, Bipontina, Lemairius semicolon, Schneidewinus et Ramiresius comma ponunt, iam apparet maiore opus esse distinctione, quia nec versus 4 interrogationis disiunctivae prior pars esse potest, quod putasse Schneidewinus videtur, et in fine eius intervallum in legendo fieri necesse est. Ergo ut v. 20, ita etiam v. 4 sic est scribendus: *Callaïcum mandas siquid ad Oceanum* —.

19. **X, 68, 9**: *Scire cupis quo casta modo matrona loquaris:*

Omnes editores hoc colon exhibent, quod rectum esset, si insequentibus verbis poeta explicaret, quo casta modo matrona loqueretur. Sed non explicat. Interrogatio igitur rhetorica hic versus est et significat *mene tibi dicere vis, quo c. m. m. loquaris? nonne ipsa scis?* Ergo interrogationis nota necessaria est.

20. **XII, 57, 18 ss.**: *Tu, Sparse, nescis ista, nec potes scire, ...*
20. *Cui plana summos despicit domus montes,*
Et rus in urbe est vinitorque Romanus.
Nec in Falerno colle maior auctumnus,
Intraque limen clusus essedo cursus,
Et in profundo somnus, et quies nullis
25. *Offensa linguis; nec dies nisi admissus.*

Sic fere omnes editores excepto Scriverio, qui post v. 21 colon posuit, post v. 22 et post v. 23 semicolon, ut videri possit rectum sensisse. Facile apparet sic scribendum esse:

21. *Et rus in urbe est vinitorque Romanus*
(Nec in Falerno colle maior auctumnus),
Intraque limen clusus essedo cursus,
Et in profundo somnus, et quies nullis
25. *Offensa linguis, nec dies nisi admissus.*

Nam versus 22 est parenthesis, verbum autem *est* (v. 21) non modo ad substantiva *rus* et *vinitor* (v. 21) pertinet, sed idem ad *cursus* (v. 23), *somnus*, *quies* (v. 24), *dies* (v. 25).

In usum eius, qui Martialis epigrammata edet, versus nonnullos addam, ubi, quamquam recte ab editoribus explicati sunt, tamen alia interpunctio mihi videatur praeferenda:

Spect. 24, 5 s.: quia *specta* enuntiationis conditionalis vicem explet, in fine versus 5 non punctum, sed colon, post *mora est* non colon, sed comma poni velim: *specta, dum lassant aequora Martem: parva mora est, dices „Hic modo pontus erat“.* — **I, 14, 2** *et* **I, 108, 1** parenthesis signis utendum est. — **II, 27, 4** post Selii exclamationes etiam eius, quem Martialis alloquitur, verba *(facta est iam tibi cena, tace)* dialogi notis includenda sunt. — **II, 62, 4**: In altera editione Schneidewinus bene delevit comma ante *quod*, male simul comma post *praestas* omisit. — **II, 69, 4** post *cenaret* comma addendum est. — Item **II, 74, 1** in fine versus. — **III, 26, 5** linea in fine versus delenda est; nam recte Friedlaender (Acad. Alb. Regim. 1878 II) exposuit *puta* hic ironice dictum esse, quamquam aliis locis hoc imperativo poetam sic usum esse non cognovi. — **III, 82, 15** in fine versus comma deleri velim; nam *sciscitator* significat als Untersucher. — **V, 65, 9** et **10** malim exclamationis signa, quam interrogationis. — **V, 80, 9** ante *libellus* comma addendum est. — **VII, 12**: v. 3 comma addendum est ante *iuste*, in fine versus 6 comma pro interrogationis signo ponendum. — **IX, 43, 2** comma addendum est post *mitigat.* — **IX, 93, 4** verba *Caesar erit,* cum pueri respondentis esse mihi videantur, dialogi notis includi velim. — **X, 3, 6**: Post *credis hoc, Prisce* non comma, sed interrogationis signum ponendum est; nam quae sequuntur *voce ut loquatur psittacus coturnicis* non ex *credis* verbo pendent, sed significant „wie sollte .... reden?“ — **X, 6, 8** pro *„venit?“* lege *„venit“?* — **XII, 39** commata post *putida* (v. 2) et post *Sabelle* (v. 4) delenda sunt. — **XII, 62, 15** parenthesis signis utendum est.

Caput III.

Nonnunquam, etsi raro, Schneidewinus male a libris discessit. Iam commemoravit Friedlaender (Acad. Alb. Regim. 1878 II) cum alia, tum locum imprimis insignem IV, 61, 6, ubi Schneidewinus pro *lineisque ter cinctum* Rutgersii malam coniecturam

lychnidemque ceriten recepit, et (Acad. Alb. Regim. 1879 III) III, 46, 5, ubi tamen memoria lapsus Schneidewinum in utraque editione a codice T recessisse dicit, *cuneos* pro *cunctos* scribentem: nam *cunctos* et omnium librorum lectio est et in priore Schneidewini editione servatum. Ipse addo hos locos:

1. **III, 52, 1**: *empta domus fuerat tibi, Tongiliane, ducenis* (scil. milibus sest.). Sic inde a Scriverio legitur, cum libri exhibeant *ducentis*. Adii virum doctissimum *Hultschium*, qui benigne haec mecum communicavit: Conferendum est Horatii illud (Sat. II, 3, 69) *scribe decem a Nerio*, acceduntque plurimi illi loci, quibus *ducenta* et similia addito vocabulo *milia* aut *sestertia* leguntur; neque enim est, cur distributivo utatur poeta, si *sestertia* et *milia* omittit. Plura de hac re vide Griechische und römische Metrologie p. 294[2].

2. **IV, 78, 8**: *Sigerosque meros Partheniosque sonas.* Libri habent omnes *Sigerios* (aut *Sigereos*), nulli *Sigeros*, recta autem est utraque nominis forma (vide Friedlaender Sittengeschichte I[5], 101, 4). Itaque, quamquam secunda syllaba producitur (Friedlaender l. c.), nihilominus *Sigerios* est servandum. Nam in nominibus propriis post liquidas *l n r* apud Martialem vocalem *i* per synizesin cum insequenti vocali coalescere posse, iis solis editorum negare licet, qui II, 29, 5 (*cuius olet toto pinguis coma Marcelliano*, quod mira de causa monstri simile videtur *Luc. Muellero De re metrica* p. 256) Salmasii coniecturam *Marcellano* probaverunt. Etiam **I, 108, 3** pro *Vipsanas*, quod in libris est, *Roiius* bene restituit *Vipsanias*. Etenim nisi a viris titulorum Romanorum peritis demonstratum erit et *Marcellano* et *Vipsanas* dici posse, et IV, 78, 8 cum libris *Sigerios* et I, 108, 3 contra libros *Vipsanias* scribendum est.

3. **VI, 66, 3 ss.**: (Ancillam) *vendebat modo praeco Gellianus.*
Parvo cum pretio diu licerent,
5. *Dum puram cupit approbare cunctis,*
Attraxit prope se manu negantem
Et bis terque quaterque basiavit.
Quid profecerit osculo, requiris?
Sescentos modo qui dabat, negavit.

Male v. 4 Schneidewinus in altera editione ex Gronovii coniectura *licerent* exhibet („als man lange nur niedrig bot"); nam sic *licerentur* dicendum erat. Bene se habet *liceret*, quod in omnibus libris est, significat autem aut „als die Magd lange für niedrigen Preis feilstand" aut (collato Plin. n. h. 35, 88) „als der Auktionator die Magd lange für einen niedrigen Preis ausbot". Offendit, opinor, vir doctus in hac librorum lectione, quod si nostratium auctiones consideras, quae praeco vendit, diu eodem pretio licere non possunt. Sed alia erat apud Romanos auctionum consuetudo, apud quos auctius pretium non, ut apud nos, emptorem, sed ipsum praeconem nominasse, emptorem autem, si daturus erat, adnuisse, mea quidem opinione e Suetonii narratiuncula (Calig. 38) apparet: *Nota res est, Aponio Saturnino inter subsellia dormitante, monitum a Gaio praeconem, ne praetorium virum crebro capitis motu nutantem sibi praeteriret; nec licendi finem factum, quoad tredecim gladiatores sestertio nonagies ignoranti addicerentur.* — Ceterum miretur quis, quo iure v. 9 *sescentos modo qui dabat, negarit.* Sed licitus erat ancillam puram: quae ex quo praeconis osculo inquinata est, non iam obligari se putabat promisso. Sescenti autem illi sestertii erant id pretium, post quod, quamquam paulo maius praeco clamaverat (id quod v. 4 *parvum pretium* dicitur), nemo iam eorum, qui aderant, licitus est.

4. **VII, 14, 9**: *bis senos* pro *bis denos* Schneidewinus ex coniectura Heinsii scribit, quasi poeta de puero nondum adulto loquatur. Sed adulta illum aetate fuisse et totius epigrammatis acumine apparet et eo adiectivo, quod v. 10 legitur. Videntur viri docti errasse propter *nondum*, pro quo exspectes *iam paene* vel *paene*. Sed lepidissimum illud *nondum* esse eoque fieri, ut insequentia per aprosdocesin addantur, facile intelleges, si in legendo v. 10 intervallum post *nondum* facies.

5. **VIII, 64, 10, 11**: *et talis tumor excitet papillas,*
quales cruda viro puella servat.

Boni libri exepto codice A omnes (XBGP) habent *qualis*. Ergo scribendum aut *talīs-qualīs* aut *tales-quales*. Hoc moneo non quo res orthographicas nimis curem, sed quia facile apparet editores *talis* pro nominativo singularis habuisse constructione aut nimis implicita aut, ut ego iudico, omnino falsa.

6. **X, 65**: In eo epigrammate, quo poeta se ipsum, qui robustus et contumax sit, cum homine quodam molli atque effeminato comparat, hoc legitur vv. 10. 11:

Os blaesum tibi debilisque lingua est,
Nobis fistula fortius loquetur.

Libri praebent *filia*. *fistula* coniecit *Schneidewinus*, non multo melius *ilia fortius loquentur Haupt*, cui assensus est *Friedlaender* (Acad. Alb. Regim. 1878 II). Utrique coniecturae cum alia, tum futurum *loquetur* obstat, pro quo sic *loquatur* cum Heinsio vel potius indicativum praesentis scribendum puto. Ego non video, quid in librorum lectione reprehendatur. Etiam caelebs poeta dicere potest: *Mea vel filia, si quam uxore ducta genuero, quamquam femina, tamen aliquantum firmitatis et roboris patris servans, fortiore voce loquetur quam tu homo mollissimus.*

7. **XI, 99, 5**: Meliores libri omnes (TPXAC) *nimias*, editores omnes *Minyas*. *Koestlinus* coniecit *minias*. *Friedlaender* (Acad. Alb. Regim. 1878 II): „Equidem *Minyas* (pro *Minyeias*) Martialem scripsisse putaverim, sed ambiguitate soni ludentem, ut etiam *minias* intellegi posset." Recte sensit vir summus *Minyas* substantivum, quia accusativus, non nominativus est, hic prorsus ineptum esse. Sed pro adiectivo *Minyeias* potuisse hic *Minyas* dici neque demonstravit neque, ni fallor, potuit demonstrare. *minias* autem nimis foedum est. Ego non video, cur librorum lectio *nimias* displiceat.

8. **XII, 26, 7** male Schneidewinus cum bhsw contra omnium bonorum librorum fidem scripsit *obrumpere (somnos)*, verbum omnino non exstans. Recte igitur codicum bonorum lectionem *abrumpere* revocavit *Zingerle* (Martials Ovidstudien p. 35).

9. **XIV, 112** lemma *nimbus vitreus* mutavit Schneidewinus in altera editione cum Heinsio in *nimbus viteus*. Sed ut in versibus hoc possit dici, artifices ipsos vasa quaedam vinaria *vitea* nominasse non potest credi. Bene se habet *vitreus*, siquidem vitreum erat vas illud, quod *nimbus* dicebatur.

Etiam **X, 83, 9** nollem Schneidewinum in altera editione ex editione Romana recepisse *quin tu simplicius senem fateris?* pro *Vis tu simplicius senem fateri?* Nam librorum lectio bona est, quod autem editio Romana habet, mera coniectura fictum.

Adiungo eos locos, quibus Schneidewinus a codice R, omnium et antiquissimo et optimo, minus recte videatur discessisse[8]):

1. **III, 32**: Editores omnes receperunt *Matrinia* ex libris familiae C[a]. R habet *Matronia*, quod nomen certe aptissimum est (cf. Friedlaender Sittengeschichte III[5], 466, 1). Cum autem non modo P, sed etiam unus familiae C[a] (B) *Matria* praebeat, verisimile est *Matrinia* in fam. C[a] ex corruptela *Matria* effictum esse, ne versus labaret.

2. **VIII, 60, 2**: Editores inde a Grutero et Scriverio exhibent: *si fieres brevior, Claudia, sesquipedem,* quod, ni fallor, regulae grammaticae respuunt. Et R et libri familiae C[a] habent *sesquipede;* ac ne familiae B quidem codices in lectione *sesquipedem* consentiunt *(sesquipedem* P. *sesquipedum* Q). Saepe autem apud Martialem pentameter in brevem vocalem exit; exempla quamquam non de industria collegi, haec appono: VIII, 51, 2 *(tuă).* IX, 100, 2. XI, 39, 10 Schn. XII, 12, 2. XII, 94, 6. XIV, 118, 2. — III, 37, 2 *(facite).* III, 49, 2 *(bibere).* — VI, 36, 2 *(olfacere).* X, 75, 6 *(accipere).* — XII, 78, 2 *(satisfacere).* XIV, 126, 2 *(endromida).*[9])

3. **XIII, 64**: *Succumbit sterili frustra gallina marito. Hanc matris Cybeles esse decebat avem.* Ut ambiguitas vitetur, malo, quod in RM est, *hunc.*

4. **XIV, 186**: *Quam brevis immensum cepit membrana Maronem. Ipsius voltus prima tabella gerit.* Bene RM: *ipsius et voltus. et* ad *voltus* appositum significat *etiam* (auch noch sein Bild ist in dem kleinen Bande) videturque mihi paene necessarium.

5. **XIV, 194, 1**: *Dicant* T fam. C[a], Schneidewinus. *dicunt* RP. Librorum auctoritate pensitata videtur *dicunt* praeferendum esse.

Saepius Schneidewinus in edendis Martialis epigrammatis nimio librorum familiae C[a] studio deceptus est.

Etenim pleraque epigrammata, cum in familia A (RHT) desint, duae tantum meliorum codicum familiae habent: familia C[a], cuius libri XABCG diligenter collati sunt, et familia B, quae, ut omittam librum F multis locis a ceteris discedentem et W paene totum deletum, tribus codicibus constat: 𝔓QP. Nam quod Schneidewinus Palatinum Gruteri (𝔓), quem ille anno 1616 Heidelbergae excussit, eundem esse putat Palatinum, quem hoc saeculo in bibliotheca olim Palatina, anno 1621 in Vaticanam recepta, C. O. Müller invenit et duo viri docti in Schneidewini usum contulerunt (P), mirum quantum a vero aberravit. Captus hoc errore vir doctissimus vehementer Gruterum vituperavit (pag. XLVI): „A Gruteri testimonio ubicunque dissonabat accuratissima collatio nostra, quod saepissime factum est, dissensum illum annotare non praetermisi". „Grutero nolo in

8) Contra nimium ei tribuit **IV, 10, 1**, ubi collocatio verborum, quae in R est *(rasa nec adhuc)*, aliena mihi videtur a Martiale et cum Palatino scribendum puto: *Dum novus est nec adhuc rasa mihi fronte libellus;* libri familiae C[a], qui *et adhuc rasa* habent, in collocatione verborum consentiunt cum Palatino. — Etiam **XIII, 127, 2** haud scio an codex R non sit sequendus. Certe, quod libri fam. B et C[a] habent, *quondam veris erat, nunc tua facta rosa est,* suavius est, quam, quod ex R recepit Schneidewinus, *ut quondam veris, nunc t. f. r. est.* Cum alter familiae A liber (T) praebeat *quondam viris nunc t. f. r. est,* fortasse, postquam in archetypo familiae A *erat* omissum est, in R librarius *ut* addidit ad versum supplendum.

9) Bene *Ph. Wagner* (Allg. Lit.-Zeitung, Halle und Leipzig, 1843, No 73) **XI, 2, 2** *(et aratoris filia Fabricii)* brevem vocalem in exitu pentametri restituit, *Fabricia* coniciens, quia genetivus *Fabricii* tetrasyllabus apud Martialem esse non potest; ceterum videnda sunt quae de hoc loco commemorat Friedlaender in „Bursians Jahresberichte über 1873 und über 1874/75".

crimen vertere, quod Palatinum suum praestantia libri et Torquati Gennadii subscriptione permotus *annosum* vel *vetustissimum* iactat: nam is error esse poterat. Videlicet librum saec. XV non superare in recensu codicum infra narravi. Illud vero culpo, quod ubique *membranas Palatinas* crepat, ut fucum hominibus litteratis faciat. *Chartaceus liber est.*" Quis hoc credat, Gruterum librum chartaceum, ut fucum faceret, membranas nominasse! Lectiones autem utriusque libri si diligentius inspicimus, videmus 𝔓, ubi a P discrepat, plerumque conspirare cum Arondelliano Gronovii (Q), qui liber praeclarus eiusdem est familiae, Grutero autem nondum notus erat. Exempla quamquam plura proferre possum, pauca sufficiunt: **IV, 66, 12**: *turba mero* 𝔓 (quod sententia respuit, ortum autem est sive errore sive interpolatione ex v. 10: *turba foci*). *turba mero*, in margine *vena* Q. *vena mero* P cum plerisque. — **IX, 33, 2**: *Maronis* 𝔓Q. *Morionis* P, fam. C^a. — **X, 21, 2**: *Crispe* (errore aut interpolatione ortum ex X, 14) 𝔓Q. *Sexte* P cum ceteris excepto solo Wolfenbuttelano (s). — **X, 34, 1**: *Caesar* soli 𝔓QC. *princeps* P cum plerisque. — Quae commemoravi cum talia sint, ut Gruterus neque potuerit errare neque cur mentiretur habuerit, apparet Gruteri Palatinum esse eundem atque Schneidewini Palatinum non posse. Si post a. 1621 conglutinatus sit is liber vetus, cuius sub integumento Wittius (vd. Schneidew. p. LXX) Perusiae folium codicis saeculo XII scripti Martialis epigrammata X, 36, 7—41, 5 continens repperit, suspicer hoc folium (W) olim libri Palatini (𝔓) Gruteri ex testimonio vetusti fuisse illumque ipsum casu aliquo non in Vaticanam venisse, sed deperiisse. Certe cum in epigrammatis X, 36—41 uno tantum loco libri familiae B inter se discrepent, W et 𝔓 ibi consentiunt: **X, 37, 18**: *male* 𝔓W. *mele* P. *melle* Q (ubi scribendum est *maele*). Sed haec hactenus; nam hariolari nolo.

Cognatio librorum familiae B tanta est, ut paene omnibus locis uni eorum liceat ceteros eiusdem lectionis testes addere (Schneidew. p. 679), et ubi de solo P constat, quod ille habet, totius familiae B lectionem esse putandum sit. Sed cum familia C^a familia B multis locis non concinit. Quaestio igitur est, num familiae C^a semper maior fides habenda sit, quam Palatino. Non dissererem de ea re, si solus *Schneidewinus* „Palatino locum iuxta familias A et C^a ita concessisset, ut ubi solus alia haberet, vel speciosa sperneret" (p. CXVIII); nam quo magis processerunt studia eius, eo magis, quam egregius esset Palatinus, vir doctus intellexit, et in altera editione multis locis Palatini lectiones in priore repudiatas recepit, ut in duobus primis libris viginti duobus versibus (I, 6, 5. I, 15, 5. I, 18, 6. I, 34, 7. I, 49, 11. I, 57, 3. I, 89, 2. 5. I, 93, 4: *plus tamen est* pro *inscriptum est* et *legis* pro *leges*. I, 104, 10. I, 113, 5. II, 4, 7. II, 7, 5. II, 14, 15. II, 31, 1. II, 47, 3. II, 55, 3. II, 60, 3. II, 65, 2. II, 75, 7. II, 79. Cf. etiam I, 50, 1. I, 53, 1. I, 109, 13. II, 14, 6. 10. II, 90, 9). Sed, ut taceam de Flachio, qui Palatini lectiones saepe ne commemorat quidem, ipse *Friedlaender* hunc librum, quamquam nonnumquam laudat (sic in Bursians Jahresberichte über 1876 p. 209), tamen in *Recensione locorum in Mart. epigr. corruptorum* codicibus „*melioribus*", id est familiae C^a, ut unum ex „*interpolatis*" opponit, idque non modo ad III, 50, 7, ubi P aeque interpolatus est atque aliis locis (XII, 50, 1 multisque praeterea) familia C^a, sed etiam ad IV, 61, 6, ubi verum servavit. Videntur viri docti ea in re offendisse, quod Palatinus saec. XV scriptus est; sed ut de ceterorum familiae B codicum aetate non constat, ita de P recte Schneidewinus (p. XCVII): „Vetustum quod sequebatur archetypum tam fideliter reddidisse librarius videtur, ut sibi vix quidquam mutare licere putaverit". Atque permultis locis, ubi familia C^a in inepta abiit, solum Palatinum sequendum esse, nemo

omnino potest negare. Sed etiam alibi testimonium eius haud parvi esse momenti mea quidem opinione inde apparet, quod optima librorum familia (A), ut multis locis cum fam. C* contra familiam B facit (Schneidew. p. CXVII), ita tamen non minus saepe cum familia B contra familiam C* conspirat (Schneidew. p. CXV s.). Exempla ex primis quattuor libris collegi. In quibus cum perpauca epigrammata eadem et in R et in T legantur, tamen bis P cum R et T consentit: III, 45, 5: *rhombos* RTP-*rhombum* fam. C*.[10]) IV, 73, 3: *oravit* RTPꝒQ-*orabit* XAB, *orabat* G. — Vicies autem familia B lectiones codicis R habet, easque duobus locis etiam vitiosas: III, 17, 1: *inscripta* RPQꝒ-*scribitita* (pro *scriblita*) XABG. IV, 73, 4: *nulla* RPQꝒ-*pulla* recte fam. C*, *puella* T. Ceteris autem locis egregias: ***I, 18, 6**: *saeva (scaena R) mero* RP-*vina cado* fam. C*. I, 33, 3: *luget* RP-*licet* (*liceat* B) XBG; in A epigramma deest. I, 57, 3: *probamus* RP-*probatur* XBG; in A epigramma deest. I, 112, 2: *nunc* RP-*dum* fam. C*. II, 7, 5: *Attice* RP-*Attale* fam. C*. II, 8, 7: *quasi nos* RPQ-*quae si* XABC. II, 42, 2: *fiat* RP-*fias* XABC. II, 60, 3: *castrabere iam* RP-*castraberis iam* (aut *an*) XAG. *dices* RP-*dicis* fam. C*. ***II, 79, 1**: *vocasse* RP-*vocatum* fam. C*. II, 80, 2: *hic* RP-*haec* XABC. III, 26, 5: *puta* RPꝒ-*puto* fam. C*. ***III, 27, 1**: *venias cum saepe* RP-*cum sis prior ipse* fam. C*. III, 27, 4: *et* RP-*nec* ABCG. III, 32, 1: *quaeris* RP-*quereris* fam. C*. IV, 10, 1: *nec* RP-*et* fam. C*. ***IV, 13, 1**: *Pudenti* RP-*parenti* XABC. IV, 13, 9: *ipsa* (*ipse* R) RP-*illa* fam. C*. — Tricies quater in primis quattuor libris familia B testimonio codicis T accedit: ***I, 8, 2**: *salvus* TP-*talis* fam. C*. I, 13, 2: *strinxerat* TP-*traxerat* fam. C*. I, 87, 3: *iantacula* TP-*iactacula* fam. C. ***I, 87, 4**: *redit* TP-*venit* fam. C*. I, 92, 11. 12 in collocatione verborum PꝒ cum T conspirant contra fam. C*. II, 40, 5: *Opimi* TP-*Opimus* fam. C*. II, 71, 2: *lego* TQP-*legis* fam. C*. III, 4, 7 et III, 19, 3 depravata in fam. C* (excepto solo C), servata in TP (III, 4, 7 etiam in Q). ***III, 19, 5**: *scelerata* TP-*caelata* fam. C*. III, 38, 7: *pangentur* TP-*tangentur* fam. C*. ***III, 40, 3** foede depravaverunt XBC et pr. A, servaverunt TP. III, 42, 3: *pusillum* TP-*pusillum est* fam. C*. ***III, 42, 4**: *malum* TP-*nefas* fam. C*. III, 44, 7: *non* TP-*nec* fam. C*. III, 44, 12. 14: priores partes horum versuum contra TP transpositae in fam. C*. ***III, 44, 13**: *licet* TP-*sinis* fam. C*. III, 55, 4: *scis* TPꝒQ-*sus, su, sub* fam. C* (excepto solo C). III, 60, 1: *iam* TPꝒQ-*tam* fam. C*. III, 65, 4: *ovis* TP-*uvis* aut *avis* XAB, *apis* C interpolatione. III, 72, 2: *magnum* TP-*maius* fam. C*. III, 93, 1: *Vetustilla* TP-*Vetustina* fam. C*. III, 93, 12 fam. C* contra TPꝒQ *h* litteram addit. IV, 5, 1: *bonus* TP-*vanus* XABG. IV, 26, 3: *vicenos ter* TP-*denos ter* XA, *denos tibi* G, *et denos ter* (propter metrum) C; verba omisit B. IV, 31, 5: *fonte* TB-*fronte* fam. C* (excepto G). IV, 34, 2: *dixit* TP-*dicit* fam. C*. IV, 37, 1: *Coranus* TP-*Coracinus* XABG *Coraunus* C. IV, 45, 5: *fac* TP-*fer* fam. C*. ***IV, 53, 6**: *cui dat latratos* TP-*cui datus latrat* XAG et pr. B. (*dat et usque latrat* C et *cuique datos latrat* corr. B metri causa). **v. 7.** *ficta* TP-*falsa* fam. C*. IV, 63, 3: *Neroni* TP-*Neronis* fam. C*. ***IV, 66, 2**: *vilius* TPQ-*dulcius* fam. C*. IV, 74, 2: *tam* TP-*quam* fam. C*.

His quinquaginta sex locis quattuor primorum librorum, e quibus duodecim ideo et crassioribus numerorum notis et asteriscis praefixis notavi, quia iis interpolatione

10) fam. C* dixi, ubi librorum diligenter collatorum XABCG nullus dissentit. — Ceterum moneo iis locis, ubi de familia B solius Palatini (P) testimonium attuli, de lectionibus codicum Ꝓ et Q a Grutero et Gronovio nihil notatum esse.

libros familiae C^a depravatos esse manifestum est, auctoritas familiae A praeclare aut Palatino aut omnino familia B confirmatur. Quid igitur est, quod in iis epigrammatis, quae iniqua sorte in libris familiae A desunt, Palatinum semper minus bene servasse verba Martialis putemus, quam familiam C^a? Itaque hic versus nonnullos proferam, in quibus Schneidewinum (aut Friedlaenderum) minus recte Palatini lectiones prae familiae C^a auctoritate sprevisse certis argumentis probari possit.[11])

I. Ac primum quidem facile intellegitur non magnam esse familiae C^a auctoritatem, ubi contra eam familiae A et B conspirent. Ut igitur codicum R et P lectionem **I, 18, 6** (*mero* pro *cado*) bene revocavit *Flach*, ita ab eis, quae et in T et in P exstant, non temere est discedendum:

1. **X, 26, 7**: *Sed datur aeterno victurum carmine munus.* Sic Schneidew. cum fam. C^a. Multo elegantius *nomen*, quod habent TPQ et recepit Scriverius[12]).

2. **III, 68, 12**: *leges* fam. C^a, Schneidewinus. *legis* melius TPQ, Scriverius. Ceterum cf. pag. 24.

3. **IX, 35, 4**: *Rhenigenam numeras Sarmaticamque manum.* Sic Schneïdewinus in altera editione. In priore recte cum Scriverio exhibuerat *Rhenanam*, quod et in T et in P est. XACG habent *Rheni manum* aperto vitio, quod ortum videtur verbis *Sarmaticamque manum.* Solus codex Excerptorum Parisinus (N), quem Schneidew. ipse (ed. II. p. VI) redire dicit ad librum familiae C^a non optimum aliquem, quamquam nonnumquam cum T consentit (non modo XI, 84, 1), praebet *Rhenigeram* (calami lapsu pro *Rhenigenam*), quae lectio sine dubio mera correctura eius vitii est, quod ceteri familiae C^a libri servant.

4. **IV, 19, 12**: Poeta Gallicam endromidam amico mittens: *Nec sic in Tyria sindone cultus eris. cultus* ex fam. C^a recepit Schneidewinus, cui assensus est Friedlaender (Acad. Alb. Reg. 1879 III). Non recte; nam cum endromis sit *sordida sed gelido non aspernanda Decembri* (v. 3), qui ea utitur, non est *magis cultus* (i. e. ornatus) quam Tyria veste. Codices T et P eosque secutus Scriverius habent *tutus eris.* Praeclare. Nam endromide amictus *ridebis ventos hoc munere tectus et imbres* (v. 11), eaque cavetur, *ne madidos intret penetrabile frigus in artus, Neve gravis subita te premat Iris aqua* (vv. 9. 10).

Ipse *Friedlaender* duobus[13]) praeterea locis a libris T et P discessit:

5. **III, 44, 14 ss.**: De Ligurino, qui omnes omnibus locis carminibus recitandis exturbat: *Ad cenam propero: tenes euntem. Ad cenam venio: fugas sedentem. Lassus dormio: suscitas*

11) Paucis locis Schneidewinus minus recte Palatinum secutus est: **V, 65, 4** scripsit *et gravis in Siculo pulvere tusus Eryx;* melius *fusus* libri familiae C^a et Scriverius; nam luctatione, non pugillatu Erycem Hercules devicit; cf. Pausan. III, 16, 4. Apollodor. 2, 5, 10, 10. — **VIII, 80, 3 s.** male Schneidew. (in edit. II) et Scriverius cum P: *cum veteres Latiae ritus renovantur harenae Et pugnet virtus simpliciore manu;* nam ex indicativo *renovantur* apparet aut cum Grutero *ut pugnet* aut, quia XAG *et pugna et* habent, *et pugnat* esse scribendum. — Praeterea Schneidewinus **IX, 79, 3** (cum N) et **XI, 22, 3** contra T et fam. C^a, **II, 54, 5** contra fam. C^a ex P *est* copulam addidit, cum aptius absit.

12) Quoniam plerumque iam Scriverius verum scripsit, in insequentibus unoquoque de loco, quae illius lectio sit, commemorabo.

13) **IV, 31, 5**, ubi *averso fonte* non modo praebent familiae A et B (TP), sed etiam unus ipsius familiae C^a (G), archetypum autem familiae C^a (nam sic XA et pr. B) *averso fronte* habuit masculino originem huius lectionis prodens, *Friedlaender* in Acad. Alb. Reg. 1878 II cum solo C *aversa fronte* legendum proposuit, sed ipse, ni fallor, sententiam bene mutavit in „Bursians Jahresberichte über 1881".

iacentem. Friedlaender Acad. Alb. Reg. 1878 II: „Lege v. 15 *edentem*, quod est in ed. Romana et in Puteaneo (X)." Poterant addi A et pr. B, in quibus est *fuga sedentem*. Causam eam adiungit vir summus, quod „cenantes non sedent sed cubant." Sed priusquam omnes convenissent, videntur sedisse: VIII, 67, 6 Martialis dicit convivae, qui sane maturius venit lectis nondum stratis: *Caeciliane, sede.* Ergo *sedentem* servandum est non modo quia duabus librorum familiis commendatur, sed etiam propter praeclaram gradationem, quae efficitur participiis *euntem, sedentem, iacentem.*

6. **IX, 47, 5**: *Sed quod et hircosis serum est et turpe pilosis. Friedlaender* l. c.: „quomodo in textum venerit *serum est*, quod sensum non habere apparet, quamvis explicare nequeam, vix dubito quin ex C restituendum sit *turpe est. serum est et* omittunt XA".[14]) Eo ipso, quod *serum est et* XA omittunt, facile intellegitur, in C, qui liber foede interpolatus est, *turpe est et* librarium ex suo ingenio metri causa addidisse. Legitur autem non modo in TPꝒQ *serum est et*, sed etiam in uno familiae C[a] (G), qui sola verba *est et* omittit, *serum.* — *Serum est* significat „es ist verspätet, fieri non iam potest, non iam licet"; pueris enim, qui tales esse nondum possunt, oppositi sunt et hircosi et pilosi, etsi non omnes e pueris egressos hircosos et pilosos esse necesse est. Sententia igitur est: *quod hircosis, cum liceat puerulis, non iam licet, pilosis vero est turpe.* Idcirco autem hircosis non tam turpe quam serum esse dicitur, quod illi ab omnibus repudiantur.

7. Ut Friedlaender IX, 47, 5, ita Schneidewinus **III, 95, 4** interpolatione codicis C deceptus est, cuius librarius vitium in XA servatum correxerat: *Nam puto me melior, Naevole, nec prior es.* Sic C secutus Schneidewinus, negatione in priore pentametri parte vitiose omissa; longe enim aliena sunt, quae III, 8, 2 et III, 27, 4 leguntur *(Unum oculum Thais non habet, ille duos. Et mihi cor non est et tibi, Galle, pudor)*, ubi cum negatio arte cum verbis *habet* et *est* coniungatur, in altera versus parte non *habet*, sed *non habet*, non *est*, sed *non est* suppletur. — Scribendum est cum Scriverio *nec melior*, quod non modo in T et P exstat, sed, ut videtur, in ipsius familiae C[a] libris B et G. XA habent *ne melior*, omissa *c* littera; idemque librarium codicis C in archetypo legisse, sed suo Marte correxisse mihi certum est.[15])

II. Ubi libri familiae A nos deficiunt, non multum tribuendum est singulis familiae C[a] codicibus, si ceteri eiusdem familiae eandem, quam familia B, lectionem habent. Nam cum semper fere illi (maximeque XAB) in ipsis vitiis consentiant (Schneidew. p. CXVIII), nisi quod in C menda archetypi correcta sunt idque raro ad exemplum alius libri, saepissime autem (et sic nonnumquam etiam in B) summa emendandi licentia (Schneidew. p. LXXIV), dubitari non potest, quin, quae communia sunt et familiae B et partis familiae C[a], in archetypo etiam familiae C[a] fuerint. Recensebo nunc eos locos, ubi male Schneidewinus unum paucosve familiae C[a] codices secutus est.

1. **XII, 3, 13**: *Fons ibi Castalius vitreo torrente superbus. superbus* XC. *superbit*, quod recte Scriverius recepit, non modo P, sed etiam ipsius familiae C[a] libri BV. *superbis*

---

14) Hirschfeld in Wiener Studien I, quem librum ego non vidi, coniecit *taetrum* pro *serum*.

15) Etiam **X, 10, 8** in C *isse* correctura esse eius videtur, quod in XA legitur: *iste*. Tamen non suadeo, ut cum PꝒ (T non habet X, 10) et Scriverio *ire* exhibeamus. Nam dubito an *iste* vetus corruptela archetypi omnium librorum sit (pro *isse*), in XA servata, in C et codicibus familiae B varie sublata.

aperto vitio A. Facile apparet in archetypo librorum XAC calami lapsu *superbis* pro *superbit* fuisse, librarios autem codicum X et C, ut sententia constaret, *superbus* scripsisse.

2. **XIV, 92, 1**: *puncta notas ilex* male Schneidewinus constructione (cf. *Draeger*, Historische Syntax I^2, 363 s. sub A) apud Martialem in solis *induendi* et *exuendi* verbis usitata: nam cave exempla afferas, qualia sunt *tincta rubore genas* et similia. Recte Scriverius *notis ilex*, quod non modo P habet, sed etiam ipius familiae C^a liber A. In archetypo familiae C^a videtur litteris minus recte distributis fuisse *puncta noti silex;* idque servatum est in G, correctura autem in *p. nota silex* (sic!) mutatum in XBC. *p. notas ilex* in nullo omnino libro exstat.

3. **VIII, 65, 6**: Schneidewinus: *Roma salutavit voce manuque deum* (i. e. Domitianum). *ducem*, quod recte servavit Scriverius (cf. VI, 83, 2. XI, 5, 9. al.) praebent P atque ipsius familiae C^a libri C et (in dittographia) G. *deum* non est nisi in 'correctura' (alterius manus) codicis B et in dittographia codicis G. XAB habent *ducum* aperto mendo. Sine dubio in archetypo familiae C^a levi corruptela *ducum* (pro *ducem*) scriptum fuit idque in aliis libris servatum est, in aliis mutatum aut in *ducem* (in C) aut in *deum* (in corr. B) aut in utrumque (in G).

4. **V, 80, 1 s.**: *Non totam mihi, si vacabit, horam Dones et licet imputes, Severe.* Sic Schneidewinus secutus libros BC. Recte Scriverius: *vacabis.* Nam dici potest utrumque (cf. II, 5, 6), *vacabis* autem est non modo in P, sed etiam in ipsius familiae C^a libris XAG.

5. **I, 108, 5 s.**: *Migrandum est, ut mane domi te, Galle, salutem: es tanti, vel si longius illa* (scil. *domus*) *foret. Es tanti* XAC, Scriverius, Schneidewinus. Malo *est tanti* (scil. *te salutare*), quod et urbanius est — nam *es tanti* (Du bist es wert) hic mihi videtur plane rusticum — et in P atque in ipsius familiae C^a libris BG legitur.

Solum librum G bis Schneidewinus male secutus est:

6. **VI, 74, 2**: *Calvam trifilem semitactus unguento.* Sic Scaliger, Heinsius, Scriverius, Schneidewinus, quamquam *semitactus* solus G (?) habet, *semitatus* et ceteri familiae C^a et PPQ. Ego, quid *semitactus* hic sibi velit, non intellego. Nam homo talis, qualem hoc epigrammate describit poeta, non solet parum capillum ungere, sed nimis. Egregium est *semitatus unguento.* Unguento enim utuntur ad semitandos crines („um in dem Haar eine Bahn, d. i. den Scheitel, herzustellen"). Cui explicationi non obstare, quod poetica auctione rarum capillum Martialis *calvam trifilem* dicit, non est quod moneam.

7. **VIII, 3, 19**: *At tu Romanos lepido sale tinge libellos.* Sic G et Schneidewinus. *Romanos lepidos* T. *Romano lepido* A. *Romano lepidos* recte reliqui (PXBC) et Scriverius. Et dicitur melius, quam *lepidus sal*, et *Romanus sal* (cf. *sal Atticus*) et *lepidus libellus.*

8. **VI, 83, 5 s.**: *Sit tua, sit summo, Caesar, natura Tonanti: Utetur toto fulmine rara manus.* Sic Schneidewinus, solum A secutus. Sed bene se habet, quod in ceteris omnibus (etiam familiae C^a) libris legitur receptumque est a Scriverio: *Si tua sit.* Neque enim in eo est offendendum, quod coniunctivum *sit* urbane futurum *utetur* sequitur.

9. **XI, 35, 2**: *quare non veniam vocatus ad te.* Sic Schneidewinus ex codicibus XA. Sed neque *ad te* cum *veniam* verbo coniungere placet neque dicit Martialis *ad aliquem vocari* (ut saepissime *ad coenam vocari*). Recte Scriverius cum ceteris omnibus (etiam familiae C^a) libris scripsit: *a te.* Cf. XI, 65, 1: *Sescenti cenant a te, Iustine, vocati,* ubi bene Schneidewinus Thuanei (T) lectionem *ad te* sprevit.

10. **X, 35, 11. 12**: *Nullam dixerit esse sanctiorem, Nullam dixerit esse nequiorem.* Hunc versuum ordinem recepit Schneidewinus ex X, cuius libri hic nulla est auctoritas; nam versus 11 cum in ceteris familiae C^a libris desit, videtur in archetypo huius familiae omissus esse, post autem, ubi librarius errorem animadvertit, in margine appositus. Melius Scriverius cum PꝒQ: *nullam dixerit esse nequiorem, nullam dixerit esse sanctiorem.* Nam secundo loco id commemorandum est, quod minus exspectes, *nullam dixerit esse sanctiorem;* et ad *sanctiorem* verbum imprimis pertinent quae insequuntur, *tales Egeriae iocos fuisse Udo crediderim Numae sub antro.*

III. Nonnullis locis ubi familia C^a corrupta est, Schneidewinus potius ipsius coniecturas, quam egregias familiae B lectiones recepit:

1. **XI, 11, 4**: *Anticus mensis restituetur honor.* Sic coniectura Schneidewinus (cum bchl). *restituitur* XA pr. V. *restituatur* reliqui eosque secutus Scriverius. Etiam aptius est *restituatur* quam *restituetur* propter praecedentes imperativos (*tolle*, *trade*).

2. **XI, 90, 3**: *Et tibi Maeonio quoque carmine maius habetur.* Sic Schneidew. in altera edit. mala coniectura; nam pro *quoque* dicendum erat *etiam.* Quomodo *quod carmine maius* in libros familiae C^a venerit, nescio. Sed recte cum PQ Scriverius: *res carmine maior.*

3. **III, 82, 33**: Quia familia C^a vitiose *possimus* habet, Schneidew. probavit insulsam Rutgersii coniecturam *poscimus.* Multo praestat *possumus*, quod cum P exhibuit Scriverius.

4. **VII, 51, 13**: *Ille leget, bibe tu: noles licet, ille sonabit.* *noles* coniecit Schneidewinus (cum wφ), quia familia C^a *nolles* habet. Sed valde dubito, num *licet* cum indicativo futuri Martialis coniunxerit (cf. *Draeger*, Historische Syntax II², 771). Bene P et Scriverius *nolis licet.*

IV. Aliis locis, ubi familiae C^a et B inter se discrepant, familiae B lectiones praeferendas esse solis poetae verbis sententiaque apparet:

1. **IV, 30, 1 s.**: *Baiano procul a lacu recede, Piscator: fuge, ne nocens recedas.* Sic fam. C^a et Schneidewinus, verbi *recedas* iteratione non ferenda. Recte cum P Scriverius: *Bai. pr. a lacu, monemus, piscator, fuge, ne n. r.*

2. **IX, 90, 14**: *puerum* fam. C^a, Schneidewinus. *iuvenem* recte P, Scriverius. *Friedlaender* Acad. Alb. Reg. 1870 IV (et Sittengeschichte III⁵, 449): „Flaccus adolescens (puer appellatur **IX, 90, 14**), ... si non nobilis, certe dives fuit. Ad eum referenda sunt IV, 42. VII, 87. VIII, 45. 56. IX, 55. 90. X, 48. XI, 80, fortasse etiam XII, 74; alibi num de eodem Flacco cogitandum sit, incertum est. Poeta Flaccus Patavinus (I, 61, 4 et 76) pauper videtur fuisse.“ Non possum credere Flaccum, qui iam adultus erat, cum poeta epigramma IV, 42 ad eum scripsit (anno 88 p. Chr.), sex annis post (anno 94 p. Chr.) *puerum* appellari idque ab eodem Martiale, qui aetati Camoni vicesimum annum non egressi (IX, 76, 3) pueritiam opponit (IX, 74, 1). Sed iam octo annis priusquam IX, 90, 14 poeta scripsit, Flaccus erat adultus; nam ad eundem, hominem mollem et voluptatibus deditum, etiam I, 57 referendum esse, mea quidem opinione apparet, si I, 57 comparatur cum IV, 42. VIII, 56, 15 s. IX, 90, 7 s.

3. **XII, 3, 10**: *Atria sunt illinc consulis alta mei.* *illinc*, quod mihi ineptum videtur, habent libri familiae C^a, Schneidewinus. *illic* recte P, Scriverius. Miretur quis, quomodo *illinc* in codices familiae C^a venerit. Sed similiter *hinc* XIV, 25 et XIV, 77, ubi quin *hic* cum P legendum esset, iure nemo umquam dubitavit.

Accedunt hi loci, ubi praestare Palatini (P) vel familiae B lectiones fore ut concedatur putem.

I, 26, 4 et **I, 82, 3** recte *Flach* Palatini et Scriveri lectiones *petis* et *en quanto (Flach* male *heu quanto)* revocavit, cum Schneidewinus familiam C^a secutus scripsisset *bibis* et *In tanto.* — **IV, 55, 5**: *et* fam. C^a, Schneidewinus. *aut,* quod propter insequentia magis placet, P, Scriverius. — **IV, 61, 11 s.**: *(here loquebaris) Hereditatis tibi trecenta venisse, Et mane centum, post meridiem centum.* Sic fam. C^a et Schneidew. Melius, ut ante *mane*, ita etiam ante *post* addunt *et* P et Scriverius. — **VI, 58, 1 s.**: *Cernere Parrhasios dum te iuvat, Aule, triones Cominus et Getici sidera ferre poli.* Sic fam. C^a et Schneidew. Sed *cominus* videtur cum *ferre* verbo iungi non posse; sin ad hexametrum pertinet, collocatio verborum minus iucunda est. Melius igitur PꝒQ et Scriverius *sidera pigra poli*, quod non recte Schneidewinus interpolatum esse putat ex eo, quod IX, 45, 2 (tribus libris post!) legitur: *et Getici tuleras sidera pigra poli.* — **VII, 97, 9**: *O quantum mihi nominis paratur!* Aptius, quam *mihi* cum familia C^a et Schneidewino, legitur *tibi* cum PꝒQ et Scriverio. Vaticinatur enim poeta nomen et gloriam non tam sibi, quam libello suo, quem in hoc epigrammate alloquitur. Nam vide quae sequuntur: *O quantum tibi* (*mihi* Schn.) *nominis paratur, o quae gloria, quam frequens amator! Te convivia, te forum sonabit etc.* Venit autem *mihi* in familiam C^a ex versu 7 *(Nam me diligit ille).* — **IX, 75, 8**: *mittit* fam. C^a, Schneidewinus. *misit,* quod ex P recepit Scriverius, haud scio an commendetur perfectis *invenit* (v. 7) et *lavit* (v. 9). — **X, 35, 18**: *Durus Sulpiciam Phaon amarat.* Sic fam. C^a, Schneidew. Melius P et Scriverius *amaret*; cf. v. 16 *esses* et v. 21 *viveret.* Ceterum dubito, num id quod aut fieri non potest aut non factum est, ut imperfecti (cf. XIII, 28, 2: *erant.* XIV, 202, 2: *eram.* XIV, 196, 2: *natabat*, ubi tamen *melius* additum est), ita plusquamperfecti quoque indicativo significetur. — **XII, 44, 5**: *tenero .... Catullo* fam. C^a, Schneidewinus. *lepido .... Catullo*, quod exhibuit recte Scriverius, non modo PꝒQ, sed etiam unus familiae C^a (pr. V). *lepido,* ut elegantius Catulli epitheton est, ita altero Martialis loco de Catullo non legitur. *tenero* autem in archetypo familiae C^a librarius scripsit, cum aut IV, 14, 13 aut VII, 14, 3 memoria teneret, quibus locis *tener* Catullus dicitur. — **XII, 52, 14**: *Iste tibi dominam conciliavit amor* fam. C^a, Schneidew. Aptius *conciliabit* PꝒQ, Scriverius; nam Semproniae *domina* nondum est Proserpina.

V. Ubi autem contra familiam B familiae A et C^a consentiunt, familiae B auctoritas non maior est, quam familiae C^a iis locis, de quibus disserui pag. 19 s. Tamen nonnumquam idem vitium in familias A et C^a venisse, familiam B vero id, quod scripsit Martialis, praebere, recte ipse Schneidewinus III, 99, 4 *(licuit, liceat-liceat, licuit)* perspexit. Tribus[16]) praeterea locis dubito an fam. B contra T et familiam C^a sequenda sit:

1. **IV, 25, 6**: *Hic ubi septenas Cyllarus haurit aquas. haurit* T fam. C^a (excepto C), Schneidewinus. *hausit* PQ, Scriverius. Quomodo praesens defendi possit, non video.

2. **XIV, 52**: *Guttus corneus: Gestavit modo fronte me iuvencus. Verum rhinocerota me putabas. putabas* (*putabat* T) T fam. C^a, Schneidewinus. *putabis* P, Scriverius. Cum *rhinocerota* (cf. XIV, 53. Iuven. VII, 130) dictum sit pro *cornu rhinocerotis*, ut contraria metonymia

16) Non huc pertinere puto **III, 93, 18**, ubi minus recte Schneidewinus *nuptuire* cum T et plerisque familiae C^a scripsit; quod enim ex PQG recepit Scriverius, *nuptum ire*, arbitror malam correcturam esse vitii, ut videtur, omnium librorum communis. Sed *nuptuire* quoque nihili est. Iam *Iunius* bene coniecit (cum s) *nupturire*, quod verbum Apul. apol. 70 legitur et similiter formatum est atque *esurire* et similia.

XIII, 100[17]) *dens Erythraeus* ipsum elephantum significat, sententia epigrammatis haec est: Eine Ölflasche: „Vor kurzem noch trug mich an der Stirn ein Rind; doch du hieltest mich für Rhinoceroshorn (scil. seitdem du mich, die Flasche, sahst, bis jetzt, wo ich dir sage, dass ich Rindshorn bin)." Ergo, quamquam multo magis arridet *putabis* (compara non tam XIII, 124, 1 quam XIV, 76, 2 maximeque XIII, 58, 2), tamen a lectione familiarum A et C^a, cum explicari possit, discedere nolim.

3. **XIV, 140**: *Udones Cilicii: Non hos lana dedit, sed olentis barba mariti: Cinyphio poterat planta latere sinu.* *poterat* T fam. C^a, Schneidewinus. *poterit* P, Scriverius. Sententia versus 2 haec est, si *poterat* scribitur: *planta hirci Cinyphii in barba eius latere poterat.* Sin *poterit* praefertur, haec: *planta eius, qui hos udones acceperit, in barba hirci Cinyphii latere poterit,* quod quanto praestet, facile apparet. Accedit, quod plantae solorum hominum, non pecudum, quantum ego scio, commemorantur. Ergo valde dubito, num lectio familiarum A et C^a probari possit.

Thuaneum (T) Schneidewinum pluris fecisse, quam dignus est, ostendit *Friedlaender* (de codice Martialis T, Acad. Alb. Regim. 1879 III). Est enim liber egregius optimusque post R et H et multis locis solus quod scripsit Martialis servavit, sed et erroribus librarii scatet et ne interpolationibus quidem prorsus liber est. Schneidewinus autem tantum ei tribuit, ut contra omnium ceterorum codicum fidem vel deteriores lectiones ex eo reciperet. Enumerabo nunc eos locos, quibus quin male Schneidewinus Thuaneum (T) dissentientibus ceteris libris secutus sit, non dubium esse mihi videatur.

1. **IX, 33, 2**: *Matronis* T, Schneidewinus; sed dativus pluralis propter metrum esse non potest, *Matro* autem nomen alibi apud Martialem non legitur. *Mathonis* ex coniectura margo Gryphii, Scriverius, Guttmann (observv. p. 47). Libri meliores excepto Thuaneo omnes habent aut *Morionis* (P, fam. C^a) aut *Maronis* (ÞQ). Scribendum est *Maronis*, quo nomine ficto poeta utitur IV, 80. XI, 34. 67. XII, 90. Nam *morionis* metrum respuit.

2. **III, 68, 11 s.**: *Si bene te novi, longum iam lassa libellum Ponebas, tantum nunc studiosa legis* (*legis* TPQ; cf. pag. 19). *tantum* T, Schneidew., ut illepide id iteretur, quod iam *longum* adiectivo satis significatum est. *totum*[18]) videtur paene necessarium: nam id dicendum est, usque ad finem perlegi libellum.

3. **VIII, 56, 5**: *Sunt Maecenates, non deerunt, Flacce, Marones.* Pessime Schneidew. cum T et pr. B pro *sint* indicativum exhibuit, quem tamen IX praef. 7 *(Maiores maiora*

---

17) **XIII, 100** et **XIII, 98** cum interpretes male tractent, Friedlaender autem (Sittengeschichte II) non exponat, paucis hic explicabo. **XIII, 98**: *Dorcas: Delicium parvo donabis dorcada nato: iactatis solet hanc mittere turba togis.* **XIII, 100**: *Onager: Pulcher adest onager: mitti venatio debet Dentis Erythraei: iam removete sinus.* *mittere* hic significat *ex arena dimittere* (begnadigen); nam missionem turba postulabat, ut gladiatorum, ita et dorcadum et elephantorum, qui non saepe morti obiecti sunt; de elephantis vide Friedlaender Sittengeschichte II^5, 490. Pro mappis autem, quibus iactatis missio postulabatur, hic commemorantur *togae* (easdemque significant *sinus*). Sententia igitur est: XIII, 98, 2: „Kommt eine Gazelle in die Arena, so pflegt das Volk ihre Schonung durch Schütteln der Toga zu verlangen". XIII, 100: „Ein Wildesel kommt in die Arena; nun muss die Jagd auf den Elefanten ausgesetzt werden; also braucht ihr nicht mehr zu schütteln, um seine Begnadigung zu erlangen, und könnt die Toga wieder zurücknehmen."

18) Ubi in hac libelli mei parte lectiones commemoravi neque codicibus neque editionibus, in quibus leguntur, nominatis, et Scriveri sunt et omnium meliorum codicum excepto Thuaneo (T).

sonent: mihi parva locuto Sufficit in vestras saepe redire manus), ubi multo minus vel nihil offensionis habet, cum R, codice aliquanto meliore, et cum G scribere noluit.

4. **VI, 46**: *Vapulat assidue veneti quadriga flagello, Nec currit: magnam rem, Catiane, facis.* Sic male pro *facit* T et Schneidewinus. Nam, quominus aurigam esse Catianum putemus, praecedens *veneti* impedit, et omnino de aurigis loquens Martialis non ficto nomine utitur, sed vero aut colorum (*venetus, prasinus* etc.) aut ipsorum aurigarum.

5. **II, 66, 3**: *Hoc facinus Lalage, speculo quod viderat, ulta est.* *quod* T, Schneidew. in altera edit. Elegantius est *quo.* Nam speculo aeneo facinus non modo viderat, sed etiam ulta est ancillam eo prosternens.

6. **V, 67, 4**: *Et profugam volucres diripuere suam.* *suam* TN, Schneidewinus. praestat *suae (hirundinem profugam ipsius sociae diripuere)*; nam *volucres*, nisi *suae* additur, ieiunum est.

7. **V, 50, 8**: *focus* in fine versus pro *cocus* T, Schneidew. Apparet librarium codicis T ad exitum versus 4 aberrasse.

8. **XIII, 45**: *Si Libycae nobis volucres et Phasides essent, Acciperes, tu nunc accipe chortis aves.* *tu*, quod non aptum videtur, T et Schneidew. Bene ceteri libri et Scriverius: *at nunc.*

9. **XIV, 133**: *Lacernae Baeticae: Non est lana mihi mendax, nec mutor aheno: sic placeant Tyriae: me mea tinxit ovis.* *sic placeant Tyriae*, quod cum T Schneidewinus scripsit, nihil aliud potest significare nisi *placeant sane Tyriae quamquam aheno mutatae sunt.* Multo praestat *si placeant Tyriae*; sententia autem haec est: *Si Tyriae (propter pulcriorem colorem) magis placeant, ego ea tamen re commendor, quod color meus nativus est.*

10. **VI, 8**: *Praecones duo, quattuor tribuni, Septem causidici, decem poetae Cuiusdam modo nuptias petebant A quodam sene. Non moratus ille Praeconi dedit Eulogo puellam. Dic, numquid fatue, Severe, fecit?* v. 1 *praecones* pro *praetores* cum T Schneidewinus (cf. etiam Friedlaender Sittengeschichte I[5], 278). Mea quidem sententia et epigrammatis acumen in aprosdocesi quadam positum infringitur, si iam v. 1 *praecones* legitur, et ideo *praecones*, non *praetores* lectio errori librarii tribuenda est, quod ex versu 5 *(praeconi)* orta esse varietas videtur.

11. **IX, 68, 6**: *Causidico medium cum faber aptat equum* T et Schneidew. Melius est *Causidicum medio cum faber aptat equo.* Nam a statuarum artificibus non equus equiti, sed eques equo aptatur. Ceterum in miras res aberrat *Koestlin* (in Philol. 36, p. 273).

12. **XI, 84, 5**: *Mitius implicitas Alcon secat enterocelas.* *Mitius* TC et Schneidew. pro *mitior.* Sed adiectivum poetae praeferunt, librarii autem nonnumquam in adverbium mutaverunt (ut III, 38, 3 in P).

Tribus locis Schneidewinus propter Thuanei vitia potius coniecturas, quam bonas ceterorum codicum lectiones recepit:

13. **XII, 31, 8**: *Hos Marcella lares parvaque regna dedit.* Sic Schneidew. in altera editione ex Heinsii coniectura pro *Has Marcella domos* scripsit idque ea de causa, quod T *has Marcella dapes* exhibet: quasi lectio *dapes* facilius ex *lares*, quam ex *domos* fieri potuerit. Neque tamen origo vitii Thuanei obscura est; nam *olus, anguilla, turris aves* (i. e. columbae), quae omnia modo (vv. 3—6) commemoravit Martialis, salivam librarii moverunt, ut magis de lautis epulis poetae apparatis quam de domo ei donata cogitaret.

14. **XIV, 8, 2**: *Novit quid capiant Vitelliani. capiant* pro *cupiant* ex Heinsii coniectura Schneidewinus, quia in T *capiunt* est. Sed et elegantius est *cupiant* et ipsum *capiunt* in T ortum esse puto ex *cupiant* (non ex *capiant*) litteris *a* et *u* permutatis.

15. **II, 82, 2**: *Nescin* pro *Nescis* nullo iure Schneidewinus cum Beverlando, quia T *nesci*, ceteri omnes *nescis* habent.

Accedunt hi loci: **III, 91, 9**: *spondae cum parte iaceret* T et Schneidew. pro *spondae qui parte iacebat;* sed *cum* causale displicet propter insequens *namque*. — **IV, 35, 5**: *animae* T, Schneidew. Melius est *animi*, quia de animorum fortitudine poeta loquitur. — **XIII, 15, 1**: *colantur*, quod in altera edit. Schneidew. ex T pro *coluntur* recepit, correctura videtur propter insequentem coniunctivum *feras*. — **XIV, 46**: *Si me mobilibus nosti expulsare sinistris, Sum tua: tu nescis, rustice: redde pilam.* Sic T et Schneidew. rustice, ut mihi videtur. Urbana autem est ceterorum librorum lectio: *Sum tua: si nescis, rustice, redde pilam*, ubi *rustice* non ad *nescis*, sed ad *redde* pertinere non est quod moneam.

Index locorum.



